

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

4 September 2019

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

**1. On the dangers of marrying someone from far away, and a working
remedy, from the *Gesta Romanorum***

Fridericus in civitate romana regnavit, qui diu remansit sine prole. Et uxorem tandem per consilium sapientum quandam puellam pulchram valde de longinquis finibus mundi desponsavit et cum ea in patria ignota diu moram traxit et prolem ex ea genuit. Post haec ad imperium suum accedere volebat. Sed nullam licentiam ab ea poterat habere; immo ipsa semper dicebat, si de ea recederet, se ipsam interficeret. Imperator cum haec audisset, fecit fieri duos annulos optimos et sculpsit imagines in gemmis huius efficaciae, ut una esset imago memoriae et altera imago oblivionis. Cumque paribus anulis eas inservisset, unum anulum, scilicet oblivionis, uxori praebuit, alterum ipse tulit, ut sicut pari amore sic paribus anulis insignirentur. Uxor incepit statim amoris viri oblivisci. Imperator haec videns ad imperium cum gaudio se transtulit nec ulterius ad uxorem est reversus. Et vitam in pace finivit.

2. A prayer, in metrical Sapphics, to Christ, Mary, and the Archangels

Christe, sanctorum decus angelorum,
Rector humani generis et auctor,
Nobis aeternum tribue benignus
Scandere regnum.

Angelus pacis Michahel ad istam
Caelitus mitte, rogitamus, aulam,
Nobis ut crebro ueniente crescant
Prospera cuncta.

Angelus fortis Gabrihel ut hostem
Pellat antiquam, uolitet ab alto,
Saepius templum ueniat et istum
Visere nostrum.

Angelum nobis, medicum salutis,
Mitte de caelo Raphahel, ut omnes
Sanet aegrotos pariterque nostros
Dirigat actus.

Hic dei nostri genetrix Maria
Totus et nobis chorus angelorum
Semper adsistat, simul et beata
Contio tota.

3. History of Early Greek Philosophy

Delius dicitur Apollo, eo quod in Delo insula natus est. Delos interpretatur “clara” vel “aperta,” quod ad solem pertinet. Re autem vera Apollo fuit sapientissimus in tota Grecia, atque ideo soli comparatur, quia sicut sol expellit tenebras, ita ille expellebat stulticiam. Parmenidis locus est ubi Parmenides philosophus fuit et initia artis dialecticae repperit. Socrates primo docuit in Athenis. Post eum Plato suus discipulus qui eruditus in doctrina Socratis magistri sui perrexit Aegyptum. Ibi peritus in artibus Aegyptiacis, reversus in Italiam quae quondam Magna Grecia vocabatur, ubi Phitagoras summus philosophus docuit. Postquam didicit omnem doctrinam Phitagorae, reversus est iterum Athenas. Achademia interpretatur “tristitia populi,” in qua Plato amplificavit veram philosophiam dialecticae artis.

4. Adam of Bremen describes the pagan ceremonies of the temple of Uppsala, Sweden

Omnibus itaque diis suis attributos habent sacerdotes, qui sacrificia populi offerant. Si pestis et fames imminet, Thor ydolo lybatur; si bellum, Wodani; si nuptiae celebrandae sunt, Fricconi. Solet quoque post novem annos communis omnium Sueoniae provintiarum sollempnitas in Ubsola celebrari. Ad quam videlicet sollempnitatem nulli prestatur immunitas. Reges et populi, omnes et singuli sua dona transmittunt ad Ubsolam, et, quod omni pena crudelius est, illi, qui iam induerunt christianitatem, ab illis se redimunt cerimoniais. Sacrificium itaque tale est: ex omni animante, quod masculinum est, novem capita offeruntur, quorum sanguine deos placari mos est. Corpora autem suspenduntur in lucum, qui proximus est templo. Is enim lucus tam sacer est gentilibus, ut singulae arbores eius – ex morte vel tabo immolatorum – divinae credantur. Ibi etiam canes et equi pendent cum hominibus, quorum corpora mixtim suspensa narravit mihi aliquis christianorum LXXII vidisse. Ceterum neniae, quae in eiusmodi ritu libationis fieri solent, multiplices et inhonestae, ideoque melius reticendae.